

XXXIV. Altera sententia valere prefatum votum fuffinet, non tamen obligare: cum utilis anime aliquando possit esse dispensationem petere. Hanc defendunt Bonacina *disp. iv. quest. 11. punct. 1. num. 18.* Suarez *Lib. II. cap. xi. num. 6.* Filiucius *tract. xxi. disp. 11. quest. 11. num. 65.* Palauus *tract. xv. disp. 1. punct. 8. num. 4.* Azorius *Lib. XI. cap. xix. q. xv. Sed hic Actor loco cit. de hac questione non loquitur; sed de votone petendi dispensationem nisi a Romano Pontifice. Salmanticensis *tract. xvii. cap. 1. punct. 2. §. 2. num. 56.* hanc secundam sententiam propugnant, & præter citatos Auctores referunt quoque Sylvestrum *verb. Votum 2. q. xiv. & D. Antonium II. P. tit. xi. cap. 11. §. 9.* Verum D. Antonius nec verbum de suo promittit; sed solum exscribit sententiam propriis verbis conceptam Richardi in *IV. disp. 38.* quem Auctorem vel ipsi Salmanticenses pro contraria allegant opinione; & consequenter pro eadem sententia debuissent quoque D. Antonium allegare; cum non nisi ipsam sententiam fere eisdem verbis Richardi transferbat, nihilque de suo addat, ut legenti patebit. Sententia autem Richardi, & S. Antonii est; votum prefatum validum esse, quoties utilis anime sit dispensationem non petere; invalidum vero, quoties utilis sit anime dispensationem petere: nisi expressa intentio votantis sit quod, si votum a se emissum in aliquo casu non obligat, in nullo obliget: tunc enim absolute votum nullum est. Hæc sunt verba tum Richardi, tum S. Antonii. *Si aliquis voverit aliquid quod in nullo casu potest esse utile ad salutem, & in alio casu inutile, obligatur ad observationem voti in illo casu in quo est utile ad salutem; quatenus non in illo casu in quo est ad salutem inutile; nisi fuerit intentio votantis quod: si non obligat in omni casu, quod obliget in nullo.* Quod apud S. Antonium legitur in *illo*, in eundem typographi est. Hæc opinio in præxi securissima est; quandoquidem certum est apud omnes quod votum de non petenda dispensatione abique legitima causa a summo Pontifice validum sit. Quod invalida, aut saltem illicita est dispensatio abique legitima causa tum in petente, tum in concedente. Deinde certum est, admisso etiam valore voti absolute emissi de nunquam petenda dispensatione, posse votentem tunc conscientia ad superiorem recurrere pro dispensatione voti, iusta occurrente causa dispensationis; tum Auctores defendentes voti valorem fateantur non obligare in eventu quo anime utilis fo-*

ret petere dispensationem: nemo enim nec sibi, nec superiori adimere hanc facultatem potest. Quia subiectio subditi respectu superioris, & potestas superioris in subditum, ins est quod per sublequens votum aufertur nequit. Nullum ergo votum impedire valet quia subditi, legitima occurrente causa, sum adeant superiorem. Quare si vis rationis spectetur, prima sententia probabilior videtur. Tutius tamen est spononem factam servare, & solum urgente evidenti causa dispensationem petere. P. Sanchez docet, quod licet quis votum emisit non petendi dispensationem a primo voto, non tamen eisitit votum non petendi dispensationem ab hoc ultimo; & sic, impetrata dispensatione ultimi, remanet dispensabile primum; aut, si edidisset votum non impetrandi dispensationem huius ultimi, nunquam votum edere potest non impetrandi dispensationem ab hoc quod postremum loco adicit, etiam si in infinitum multiplicaret vota sua. Verum hæc votorum repetitionem, ut fabulosam, & otiosior somnia, reicio. Non dispensatione, sed ellebro indigent qui similia delirantes imaginantur.

XXXV. Quæst. XI. *An qui votum edidit non petendi commutationem, possit petere dispensationem, aut irrationem?* Resp. Negat Sanchez, & Trullench *loc. cit.* qui excludit commutationem, potiori iure excludit dispensationem. Adfirmat secunda sententia, quam defendunt Prado *cap. xxxi. num. 67.* Leander *q. v. Tamburinus c. xv. §. 4.* Salmanticensis *tract. xvii. c. 1. punct. 2. §. 2. n. 52.* Extensio obligationis res facti est, omnino pendens a votantis arbitrio. Si votens commutationis privilegio renuntiavit, non ideo censetur renuntiasse dispensationi: quia unum separare ab alio potest. Utrique qui respuit commutationem, prudenter præsumitur & dispensationem retinere. Ceterum cum e contrario verum sit, quod votens velit se privare facultate petendi commutationem, & retinere libertatem petendi dispensationem, idcirco ex intentione votantis res colligenda est. Possunt namque occurrere causæ talis ob quas impetrare expedit dispensationem, & non commutationem; tamen non id frequenter contingat.

CAPUT VI.

Res indifferentes, inutiles, vitiosæ, impossibiles non sunt voti materia. Variæ quaestiones explicantur.

IUT a rebus auspiciemur indifferentibus, & vanis, convenit inter Theologos, nihil quod inutile, vanum, vel indifferens sit, posse subici voto. Inquit enim D. Th. 2. 2. quæst. lxxxviii. art. 2. ad 3. *Vota vero que sunt de rebus vanis, & inutilibus, sunt magis deridenda quam servanda.* Si quis tamen voverit eiusmodi res inutiles, venialiter tantum peccare; ut si quis voverit e non ingressum forum, non akerisum e quum, cum illo homine non locurum, non abiectionem sibi unguis, & capillos, ac cetera id generis, quam genere suo, circumstantiis subiectis, sunt absolute inepta voti materia. Plura tamen, que genere suo indifferencia, & inutilia sunt, possunt ob circumstantias occurrentes fieri utilia, & apta voti materia. Ingressus in talem domum, colloquium cum tali homine, ascendere equum sunt res indifferentes. At si ingressus in talem domum se cum deserat periculum obviam habendi mulierem ad libidinem provocantem, si colloquium cum tali homine provocet ad prava, si equi ascensus occasio malorum sit; tunc, cum a vovente ob finem honestum vota eduntur de vitandis his rebus, talibus positis circumstantiis, omnino valida existunt. Ut tamen res que suapte natura indifferentes sunt, induant rationem honestatis, & bonitatis, satis minime est quod votens sua arbitraria intentione res illas in bonum aliquem finem dirigat: qua de causa nullum est votum quod mulier promittit die sabbati non nare, non coquere panem, non flere, & similia: quia abinentia ab hoc, vel illo opere res vana est: fecas, si permittent abstinere ab omnibus operibus levisibus, ut liberius Deo vacare possent. Requiritur ergo quod in ipsis rebus vovendis appareat aliqua proportio cum fine intento a vovente; & quod res vovenda, circumstantiis saltem inspectis, revera aliquo modo ad assequendum finem illum conducatur eo tempore quo votum emittitur: quia, si res iubenda voto non est utilis voventi eo tempore quo votum editur, sed vana, vel indifferens, licet aliquo alio tempore possit esse utilis, votum nullum est. Ingressus in hanc domum, in qua periculum feminae provocantis ad venerem reperitur, materia apta est, ut fieri possit votum vitandam talem do-

rum periculi plenam. Si, sublatò omni periculo, tale votum emitteretur, nullum tunc foret: quia eo tempore materia indifferens ellet; & consequenter voto incongrua.

II. Quæst. I. *An votum alicuius rei cuius executio peccatum est, validum sit?* Resp. Eiusmodi quaestione discussio superflua videtur. Quis namque ignorat, voti materiam honestam esse debere, licitam, & ipsi Deo, cui offertur, gratam? Id optime evincit D. Th. 2. 2. quæst. lxxxviii. art. 2. Porro, si oblatio victimæ culpam includit, nec licita potest esse, nec Deo qui peccatum odit, grata, & accepta. Hæc omnia clara sunt, nullaque egent enucleatione. Sed quædam opponuntur que aliquod facessunt negotium: ideo quaestio proposita est, ut dissolvatur.

III. Obicies 1. Iephe vovit se immolationum Domino quemcumque primum obvium habuisset e domo sua, si ex Ammonitis victoriam reportaret. Et reipia, victoria obtenta, domum revertens, filiam, que ipsi in occursum venerat, immolavit Domino, ut habetur *Iud. xi.* & tamen in Sanctorum catalogo perhibitur ab Apostolo Paulo *Hebræor. xi.* Fallum ergo est votum de rebus illicitis, & vetitis nullum esse.

IV. Duæ præcipue sunt responsiones quibus dissolvi hoc argumentum solet. Altera est Lyrani, & aliorum recentiorum, qui negant Iephe Deo filiam suam immolasse occasione corporis; sed docent illam Deo consecrasse motu spiritali, & civili, quatenus illam ab hominum seunxit consortio, & perpetue virginitali servanda alitrix: que consecratio, quoniam irrevocabilis erat, mors vocari potest; quemadmodum consecraria agni, animalis, & hominis mors vocatur *Levit. ult.* Quod confirmari potest. I. Iephe vir prudens, atque bene moratus erat, & in lege versatus, proindeque ritus populorum idololatrarum, proprios filios immolationum, minime ignorabat: eo vel magis quod bimefite habuit spatum, quo Sacerdotum Principem consulere poterat. II. Iephe ex afflatu caelestis Spiritus sancti votum emisit: ipsa namque Scriptura testatur, quod *factus est super Iephe spiritus Domini.... & votum vocis Domini.* III. Filia Iephe plangendi virginitatem, non mortem suam, spatum petijt: & ubi nos in nostra vulgata legitimus *Iudic. ver. 40. Mos increbuit in Israel.... ut post anni circulum conveniant in unum filie Israel, & plangent filiam Iephe.* Sanctus Pagninus ex Hebræo reddit: *Ut alloquerentur filiam Iephe, lætitiæ causa.* Addunt, non potuisse Iephe igno-

ignorare legem quae folis Sacerdotibus privilegium sacrificandi adjudicabat. Haec recentiorum cogitata speciosa sunt, suaque frantur probabilitate.

V. Altera responsio verior est, & omnium antiquorum firmata iudicio; quae verae leprose occidit filiam suam docent. Ambrosius *Lib. III. cap. xii.* Hieronymus *Lib. I. advers. Iovin. cap. xiii.* Augustinus *qu. xlv. in Lib. Iudicum*, Chrysolomus *hom. xiv. ad pop. Antioch.* Theodoretus *q. xix. in Lib. Iudic. D. Th. 2. 2. q. lxxxiii. art. 2. & in IV. dist. xxxviii. q. 1. n. 1. quaestione. 2. ad 3. &* ut brevi dicam, veteres omnes, Tertullianus, Ildorus & Pelusioti, & Hispanensis, Iulianus Martyr eandem teneant sententiam; in quam concedunt pariter graviores Theologi recentiores, Abulenlis, Soto, Serrarius, Azorius, & plurimi alii, quos mitto.

VI. Haec responsio de vera corporali occasione clare eruitur ex ipsa Scriptura, quae ecludi sine vi aperta minime potest. Sic enim habetur *Iud. xi. vers. 30. & 31. Si tradideris filios Ammon in manus meas, quicumque primus fuerit egressus de foribus domus meae, mihi quoque occurrerit revertenti cum pace a filiis Ammon: eum holocaustum offeram Domino.* Ubi isthic vel vestigium spiritualis consecrationis? Vovit offerre quidquid primum sibi de foribus domus suae occurrisset. Ponamus quod eadem bestia occurrisset: sacrificata esset illam oblatione spirituali? Neque plura fecit vota, unum nempe pro oblatione animantium, aliud pro hominum sacrificio. Ergo votum illud unicum, quo omnem primo egressientem, & sibi quoque primum occurrentem complectebatur tanquam victimam sacrificii, fuit votum verae & cruciate immolationis. Id confirmatur item ex eo quod tum minime holocaustum spiritualium usus obtinebat, sed sola cruenta sacrificia offerbantur.

VII. Ad rationes oppositae opinionis facilis responsio est. Ad primum dico, Leprosam quidem fuisse bene moratam, prudentemque; peccare nihilo secus potuisse, & res ipsa tunc peccasse. Nec mirum. Si in Angelis suis Deus pravitatem reperit; quidni & in hominibus, quantumlibet moratis? Illius peccatum ignorantiae fuit contra ipsi naturae, quae deceptus existimavit Deo acceptum futurum sanguinarum sacrificium propriae fide. Ignorantiae eius oculo fortassis esse potuit & exemplum Abrahae parati ad filii concisionem, & vicinarum gentium ritus, filios, filiaque immolationum. Quibus exemplis deceptus, similiter sibi perlatas, homi-

num sacrificium Deo fore pergratum: & idcirco sapientium consilium capere neglexit. Ad secundum aliqui respondent, per spiritum Domini intelligendum esse spiritum fortitudinis, quoniam forti animo praedium committere deliberavit. Angelicus *loc. cit. ad 2. ait: Factus est super eum Spiritus Domini: quia fides, & devotio ipsius, ex qua motus est ad occidendum, fuit a Spiritu sancto: propter quod ponitur in catalogo Sanctorum, & propter victoriam quam obtinuit, & quia probabile est eum partivisse de facto iniquo, quod tamen aliquando hominum figurabat.* Ad tertium dicendum, filiam leprose non petisse desere mortem, quam parata erat lubenti animo occumbere; sed virginitatem inscandam, & sterilem, quam sterilitatem sere ipsa morte amariorem mulieres Hebraeae reputabant. Et sane, ut Abulenlis observat, si sacrificium fuisset solius virginitatis, cum fuisset perpetuum, non duos menses, sed totius vitae suae spatium planctui destinavisset. Duos ergo menses dumtaxat planxit precedentes diem mortis suae. Ad interpretationem Pagenini, licet viri summi, dicimus, nullum ex omnibus antiquis interpretibus textum illum vertere per verbum *aliqui*; sed *plangere*. Quod si etiam hanc versionem sequi vellemus; non idcirco a vera sententia recedere cogimur. Quoniam dici posset, filias Israel accessisse quotannis ad alloquendum filiam leprose, non praesentem verbis, sed lacrymis ablentem, figuris apostrophe, aut propepe adhibitis. Ad ultimum dico, Leprosae didicisse, sacrificia quae praeter legis praescriptum offererantur, a quocumque immolari potuisse.

VIII. Obiicit 2. Validum est votum quod quis promittit le non peccaturum nisi cum tali femina. Sed in hoc votum peccatum includitur. Ergo fallum est, votum de re illicita, & vitiosa nullam esse. Primum propositionem docet Sanchez *Lib. II. cap. vi. n. 22.* his verbis. *Votum emissum Deo non peccandi nisi cum certa femina, quandoque est validum, quandoque irritum. Validum est, si amore continentiae servandae emittatur; excipiet autem votum illam feminam, eo quod se valde proclivem ad fornicandum cum illa expertus, non ausus est illam in voto comprehendere, vel noluit se omnino ad continentiam obligare. At si eo voto se devincit eo sine, quia turpi illius feminae amore captus intendit ab aliis se abstinendo, potior est ad frequentiore coitum; vel quo illi placeat, & vehementius ab illa redamarum, dicitur*

nosse

nosse amore illius ad votum illum emisse: sic distinguendum est. Si ille malus finis sit finis vel promissa, votum est irritum; si autem is malus finis esset solus voti finis, esset validum. Clamabis, lector prudens, eiusmodi phantastica & ridicularia inventa indigna esse, ut in christianam invehantur Theologiam. Non repugno. Sed quia inventa reperimus, ea excutienda exilimavimus. Non modo Sanchez, fed etiam alii votum istud validum sustinent, Martinez de Prado *cap. xxxi. q. 11. §. 8. num. 102.* Bonacina *disp. IV. q. 11. punct. 4. §. 1. num. 2.* Trullenchi *Lib. II. cap. 11. dub. 5. num. 4.* Salmant. *tract. xvii. cap. 1. punct. 2. §. 4. num. 63.*

IX. Resp. Omnes recentissimi Auctores, qui sententiam Sanchez sentiunt, cum eodem sustinent, votum praefatum rem bonam includere, nempe continentiam. Quoniam contendunt illi, in tali oblatione non includi peccandi voluntatem. Si enim voluntas includeretur peccandi, nullum & illi ipsi votum eiusmodi faterentur. Quod satis est ad veritatem communis sententiae, videlicet votum quodcumque de rebus illicitis nullum esse. Si autem quaeras, quid ipse sentiam de hac opinione; candidae fateor, mihi eam non probari. Quoniam haec deliberatio non peccandi nisi cum tali femina, iuxta communem sensum, vel includit re ipsa voluntatem peccandi cum tali femina (exceptio namque contrariam firmat regulam) vel si non includit, vana, & Theologorum disputationibus indigna eiusmodi hypotheses sunt, potissimum in re venerae, in qua praecisiones metaphysicae non sunt re ipsa adeo faciles. Quis, amabo, sanae mentis similia vota emittet: Voveo me non peccaturum nisi cum tali femina? Ut mea praefert opinio, soli Casuistae similes hypotheses formant: quoniam communis naturae instinctus minime permittit homines Deo similia vota nuncupare. Praefatum namque votum, Voveo me non peccaturum nisi cum tali femina, simillimum est huic, Voveo me non te occidurum nisi cum tali gladio. Quis porro ausit talia infremi Numinis vota dicere?

X. Obiicit 3. Si quis voveret immoderatas vigiliis, ieiunia, macerationes, & similia; vel eadem servare obtritusus esset, vel petere dispensationem. Et tamen hauiusmodi illicita sunt, utpote naturali legi custodiendi vitae contraria. Ergo vota de illicitis valent. Resp. D. Th. haec exhibet responsum 2. 2. quaest. lxxxviii. art. 1. ad 3. *Maceratio propriae corporis, puta pervigilias, & ieiunia,*

non est Deo accepta, nisi inquantum est opus virtutis: quod quidem est inquantum cum debita discretionis fit, ut scilicet conscientia refrenetur, & natura non nimis gravetur. Et sub tali tenore possunt huiusmodi sub voto cadere.

X. Quaest. II. *An votum agiandi tauros in honorem alicuius Sancti sit validum?* Resp. Afirmat Martinez de Prado *Tom. II. cap. xxxi. nu. 70.* Pro ratione Hispanorum morem in medium adducit. Felle namque Sanctorum Iacobi, Ioannis Baptistae, & Annae taurozum agitationibus celebrari solent. Si igitur civitas votum ederet tauros exagitandi, insectandi, & torquendi in maiorem alicuius Sancti honorem, non apparet ratio cur votum illud validum non esset.

XII. Haec relata opinio improbabilis, & falsa est, superflitionem sapit, atque indigna est vel in disputationem a Theologo adducatur. Quandoquidem, prout iam supra indicatum est, ut actio aliqua congrua sit voti materies, minime satis est ut voveritis intentione in finem bonum dirigat bona, & facta, utpote pro seipsum evadere nequit bona, & facta, Deoque grata, voto subici nequaquam potest. Abinentia a cibo quid indifferens est; led ad frenandum concupiscentiam directa, ut expeditus Deo infernalis, actio bona, & virtus temperantiae fractus evadit. Taurorum agitatio vii inter opera indifferencia collocari potest. Quoniam amabo relatio agitationis tauri ad sacrum Sanctorum cultum? Quid quod Concilia, Toletanum ultimum *act. 111. decret. xxvi.* Barcharense ultimum *act. v. part. 11. cap. xvii.* Summi Pontifices Pius V. in sua *constitutione motu proprio* edita, quae habetur in *Bull. Tom. II. Gregorius XIII. & Clemens VIII.* ut videre licet apud Quaranta, voveo *Torneamenta*, taurorum agitationes fieri diebus festis prohibent? Respondet Prado, prohiberi utique taurorum agitationes diebus festis; secus diebus praecedentibus, aut subsequenibus. Na egrégia interpretatio! Incredibile videtur quod Theologi, aliquoquin docti, ut sane est laudandus Prado, possint similia commenta in medium promerere, & tamen illa proferunt; & ego eodem recenseo, ut colligat lector fidem illa minime recenseo, ut magno examine recensorum, cuiusquamque sint instituti, auctoritati. Quod idcirco admoceo, ut confirmem quod milles dixi, repetendum sepeus est, me neque amore erga unum ordinem, neque odio in alterum, sed solo veritatis spiritu fidei Dominicanorum, sive Carmeli-

melitarum, five Iulitarum, five Minorum, five cuiuscumque Instituti Caluilarum opinionones quas laxas reputo, aut periculosas, refellere.

XIII. Quod opponit Prado, Hispanos solitos esse diebus sanctorum Iacobi, Annæ, & aliorum torneamenta exercere, nullius momenti est. Neque enim omnes populorum mores consecrari valent. Iisdem diebus saltim promittit viri, & mulieres, theatra frequentat, & comœdias repræsentant. Validum re propterea votum erit aduendi theatra, & comœdias frequentandi? Nullo ergo modo valet prafatum votum; quin opinio illud defendens nimium laxa nobis videtur, ac penitus improbabilis.

XIV. Quæst. III. An validum sit votum quo mulieres votent non pellerè capillos tali aut tali die? Resp. D. Th. in 1^o dist. xxxviii. quæst. 1. art. 1. quæstio. 2. ad 2. respondet, quod talia vota mulierum sunt facta quadam idololatria, secundum quam observantur dies, & mensis: & ideo non vœis habenda sunt, & peccant talia votentes. Nulla quoque sunt vota abstinendi a carnibus assis in die S. Laurentii. Valida tamen forent vota, si essent de abstinencia ab omni cibo igne decocto. Valida item sunt vota utendi vestibus vilibus, & alperis: & validum quoque esse potest votum quod edunt mulieres adhibendi vespes alias in honorem B. M. V. in signum specialis virginitalis, ut docet Sanchez Lib. II. cap. vii. num. 11. & approbat Sotus Lib. VII. q. 1. art. 3. circa 2. concl. Nisi tamen specialis adesse circumstantia, nulla ego pronuntiarum eiusmodi vota de ferendis vestibus solo colore diversis. Si vero coloris diversitati addatur alperitas, & vilitas, valida omnino esse suffineo: quia tunc sunt poenitentia, & humilitatis instrumenta. Primo autem modo loquitur tantum indifferens.

XV. Quæst. IV. An votum nocturnarum vigiliarum, & non ingrediendi mare, validum sit? Resp. Votum illud siuapte natura validum est: quia nocturnæ vigilia, quibus divina laudes celebrantur, Deo gratæ sunt. Propter absurdum quæ alibi consequbantur, prohibita fuerè: Idcirco iis in locis votum nullum esse, utpote de re prohibita. Votum non ingrediendi mare, genere suo nullum est, scilicet votum non equitandi, non ingrediendi talem, aut talem domum. Si circumstantia occurrerit cavendi peculiare periculum, quod votenti imminere solet; tunc validum

esse potest, ut communiter Auctores docent.

XVI. Quæst. V. An votum emissum de re bona ob suum pravam validum sit? Resp. Duplicem finem communiter Theologi distinguunt in præsentia: alterum intrinsecum rei promissæ, alterum extrinsecum eidem rei. Finis intrinsecus rei promissæ is est qui per se rem promissam consequitur, seu ex eadem re natura sua profiuit; ut ex poenitentia sacramentali conscientia purgatio, ex ieiunio carnis compressio. Hic finis dicitur quoque alio vocabulo finis operis. Finis extrinsecus, qui etiam finis operantis appellatur, nullam naturalem connexionem habet cum re promissâ, sed ei a votente assignitur; quatenus votens rem promissam, ipsi quoque votum eligit ut medium ad consequendum finem sibi prafatum; ut si quis elemosynam voveret, ut dignitatem aliquam obtineret; voveret Religionem, ut naufragium vitaret; vitamque suam a morte servaret. Hic finis operantis, seu votentis nuncupatur. Rursum finis alius vocatur causa finalis movens, seu motiva; alius causa impellens, seu impulsiva. Illa movens dicitur sine qua ob obligare minime velles: illa vero impellens, seu impulsiva nuncupatur quæ animum iam motum, & paratum ad agendum, ad celeritatem, & expeditiorem urget executionem. Quibus positis, communiter dicunt, invalidum esse votum rei bonæ, quæ assumitur tamquam instrumentum, seu medium, ad consequendum pravam finem; quoniam tunc non offertur Deo res bona, ut est in se, sed ut conducit ad pravi finis consecutionem; ut si voveas elemosynam, ut afequaris solum malum mulieris. Si vero finis pravi non afficiat rem promissam, neque per illam obtinendus sit, sed fit tantum finis ipsius promissionis, seu votentis; tunc validum votum est; ut si voveres Religionis ingressum, ut commodius viveres, votum validum esset: quia commodior vita non est finis operis promissæ, sed ipsius promissionis, seu, ut optime explicat Caietanus 2. 2. q. lxxviii. art. 2. est finis ipsius applicationis ad votendum. Non enim licet votens ordinat professionem suam ad vitam delicatioram; sed hæc vita delicatior excitat, & applicat votentem ad profectum. Idem dicto de eo qui profectorem, ut placeret alicui scelerato. Vota eiusmodi, dicit Caietanus, bona sunt; sed applicatio est diabolica. Quare qui licet voverit, indubitate peccant. Caietanum sequuntur communiter Doctores, ut videre poteris apud Salmanticenses, qui citant Palaum, Candidum,

dum, Navarrum, Sotum, Bonacinam, Suarez, Toletum, Azorium, Valentiam, Prædum. Sed candide fateor, ut mihi videtur, omnes obscure loquuntur, ipsique Salmant. tract. xviii. cap. 1. par. 2. §. 4. num. 65. & seq. satis implicite, & consule rem verfant, non secus ac ceteri.

XVII. Eiusmodi igitur distinctiones, quibus statunt, non valere votum de re bona, quando finis malus est, finis rei promissæ, seu voto dicite; valere vero, si finis malus sit finis ipsius votentis, ut aunt Salmanticenses num. 66. non valere insuper, si finis malus voti referatur ad Deum pro malo finem obtinendo: eiusmodi, inquam, distinctiones, licet absolute veræ sint, & optime; applicatæ tamen ad discernenda vota valida ab invalidis, obscuritatem, & confusionem pariunt, nisi clarius adhuc multo explicentur. Quod ut ego præsem, quoad per me fieri potest, sequentes conclusiones subscribo.

XVIII. Votum editum ob pravam finem, seu ob finis pravi consecutionem, semper malum, & irritum est. Hæc assertio a nemine negari potest. Quoniam votum hoc modo acceptum, nempe ut instrumentum ad comparandum finem pravam, semper malum est. Quod autem malum est, Deo placere nequit. Confirmatur, & luculentius evincitur, Votum actus est religionis. Actus porro religionis ex aliquo motivo divini cultus oriri debet. Sed quod ex fine pravo oritur, nullo modo ex religione, divinique cultus, motivo aliquo profectitur. Ergo votum ob pravam finem editum, irritum est. Hæc omnia clara sunt. Rem per omnia diserte explicat Sotus Lib. VII. quæst. 1. art. 3. dub. 1. quem sequitur Azorius, & alii communiter: quorum tamen plerique Soti doctrinam magis impeditam reddunt. Referam ipsius Soci verba.

XIX. Si quis (inquit) hanc faceret obligationem: Voveo dare elemosynam propter inanem gloriam, tunc vocula propter moderari potest aut verbum dare, aut verbum voveo. Et quidem priori modo obiectum ipsum voti, quod est dare, refertur in malum finem, a quo datio ipsa contaminatur, ac depravatur; & eiusmodi votum nullum est. Nam dare propter vanam gloriam est malum obiectum. Exemplum secundi. Si quis dicat: Voveo esse Sacerdos propter beneficium explicandum: præpositio propter non modificat rem, quæ est esse Sacerdotem, sed verbum voveo. Haud enim post Sacerdos,

aut miles effectus, opera facit lux religionis, puta nec orat, nec celebrat, nec obedit propter malum finem, sicut qui ait elemosynam propter inanem gloriam; sed iam professus est propter malum finem. Votum lic factum tenet. Et ratio est, quia obiectum eius res licita est, & bona, scilicet esse militem, aut Sacerdotem.

XX. Hæc doctrina, quam præ alio Sotus clarus exposuit, adhuc implexa mihi videtur. Nam, si quis voverit consecutionem Sacerdotii propter affectionem pinguis beneficii, eodem modo tale votum nullum mihi videtur, ac votum elemosynam propter inanem gloriam. Nam, licet quis Sacerdos effectus non ordinat ætate orandi, celebrandi, & sacrificandi ad malum finem (quod solum evincit, hunc rite Sacerdotem ordinatum suas funciones licite exercere) attamen, si votum ipsum elegerit cum medio, & instrumentum ad obtinendum pingue patrimonium, tunc status iste, qui voti obiectum fuit, habuit finem malum: eo quod res spiritualis ad rem temporalem obtinendam deperat res mala evadit; sicuti elemosynam propter vanam gloriam facta. Sensit & ipse Sotus obviam difficultatem, ob quam tale argumentum sibi ipse opponit. Ad rei autem, inquit, perniciationem intellectum arguitur. Sicut dare elemosynam propter vanam gloriam, peccatum est, & corrupto fine ire ad Ecclesiam, puta ad sollicitudinem puellam; sic & malo fine votum facere. Ergo sicut votum primi generis est malum, quia de malo obiecto, sic & votum secundi generis, quia malum habet finem. Quod si utrumque malum est, fit ut neutrum teneat.

XXI. Respondet ille, Pro solutione (inquit) appriue in præfati materia notandum est, quod lectorem minus attentum, fallere valde potest: nempe non esse in universum verum quod omne votum illicitum, & malum, sit irritum; neque hoc a nobis assertum est, sed hoc tantum, quod omne votum de obiecto malo est irritum, & casum. Concedimus ergo quod vovens Sacerdotium, aut Religionem malo fine, peccat quidem votendo; tamen quia votum bonum habet obiectum (nam est votum referatur in malum finem, tamen obiectum non refertur in eundem) votum tenet. Negatur igitur postrema conclusio. Votum factum malo fine, nullum est: ergo non obligat: sicut si habuerit malum obiectum: quoniam res Deo devota bona est, licet malo fine dicata. Ha-

Haecenus Sotus, quem, ut dixi, sequuntur ceteri Theologi communiter.

XXII. Hæc responsio mihi non probatur, nisi clarius explicetur. Ut minus criminari non satis congrua concepta, & exhibitæ est. Et primum omne votum malum irritum ego reputo: nec video quomodo hoc negari a Soto, vel a quocunque Theologo possit. Quod enim malum est, actus religionis non est; & quod actus religionis non est, votum esse non potest. Accedit, omne votum verum, gratum esse Deo; sed nullum malum, siue grave, siue leve, gratum Deo est: ergo univèrsim verum est quod omne votum illicitum & malum sit irritum. Si enim, ut dictum est, natura voti tota in eo est posita quod sit res grata Deo; sane consequitur, nullam rem qua Deo displiceat, posse votum Deo gratum extare; omne autem malum Deo displicet: ergo nullum votum malum validum est.

XXIII. Ut ergo Soti doctrina consistat, explicatione est opus. Finis malus duobus modis respectu voti considerari potest. Primo ut causa finalis primaria movens, & influens, & ad quam votum ipsum, eum medium quo finis in executione obtineatur, votens dirigat; & hoc modo votum semper irritum est: quia malum est. Quamvis enim res promissa, seu obiectum voti bonum sit, ut aiunt, materialiter; malum tamen evadit formaliter propter ordinis perversitatem in finem pravam. Secundo finis malus ut causa quam concomitantem vocat, considerari potest, & sub hac consideratione non influit in votum; neque votum propter hunc finem pravam editur: ac proinde votum ipsum non vitiat, non inquinat, sed in sua bonitate specifica relinquit. Hic vero finis, qui respectu voti concomitans est, respectu voluntatis votentis causa finalis, & influens est: atque idcirco influit, inquinatque votentem. Et hoc sane dicitur Sotus voluit. Quoniam, tamen prius dixerat, non omne votum malum, & illicitum esse irritum, statim subdit, quod votens Sacerdotium, aut Religionem malo fine, peccat quidem votendo; tamen, quia votum bonum habet obiectum, votum tenet: tenet, inquit, si non ordinetur ad finem pravam, tamquam ad causam finalem, propter quam fiat votum. Nam etiam elemosina bona est, tamquam si ad vanam gloriam dirigatur, & tamquam ad causam finalem, mala evadit; & votum de eadem propter hunc finem irritum est. Ceterum, sicuti teneret votum elemosynæ,

quod publice ederes coram aliis, ut videre, & gloriam quamdam captares; quia hæc inanis gloria votum solummodo comitatur, illudque non vitiat; cum in illud non influit, sed inquinat solum votentem: eodem prolixo modo validæ sunt vota Religionis, suscipiendi ordines sacros, baptismi, & similia, quæ ita emittuntur, ut fines vani interdum ea comitentur, & influentes in ipsum, sed tantum influentes in voluntatem votentis, quam suscipiunt. Similes fines non vocantur in scholis *causæ motivæ*, sed *causæ impulsivæ*; seu sunt veluti conditiones quæ facilitatem reddunt veti emissionem. Quare, licet votens peccet votendo, atamen votum validum est: quia votum ex officio, seu obiecto bonum est, opus Deo gratum, & a religionis virtute procedens. Votum autem quod ita assumitur, ut sit instrumentum assensuum finem pravam, vitiat, ut sine pravo, & evadit malum, atque adeo irritum. Omne enim votum quod illicitum, & malum est, inane, ac irritum esse dubitari non potest. Idque confirmatur ex eo quod, dum votum editum ad finem aliquem comparandum, tum ad Deum reipâ preces fundimus, ut talis finis nos compotes reddat. Sed oratio, prout a Theologis communiter definitur, est *petitio rerum decentium a Deo*. Porro magnam committeremus irreverentiam erga Deum, si quod Deum non decrevit, peteremus ab ipso. Ergo quicumque finis, pro quo obitendum, vel obtinendum, validum sit? V. g. *Voveo me tot Missas celebraturum, tot elemosynas erogaturum, si ex lite, bello, aut ludo iniusto victor evaserò; si beneficium simoniae obtinuerò; si fratrem occiderò, ut illius hereditatem acquiram; si in furto, aut homicidio non fuero comprehensus; si filium ex adulterio, aut concubina susceperò.* Resp. Dissident Auctores super decisione questionis propositæ, pluribusque oppositis modis aggradiuntur eius enodationem. Sylvester verb. *Votum 2. q. 11. dicto 5.* docet invalidum esse votum, si conditio desideretur a votente; validum vero, si conditio respiciatur. Suae

rez

rez Lib. 2. de voto cap. v. n. 4. Navarrus cap. XXI. num. 31. Sanchez Lib. IV. cap. vi. n. 17. docent, quod, supposita voluntate belli, & accessus ad concubinam, seu pollicitis veluti conditionibus, valet votum: quia in hac propositione votum non ordinatur ab bellum. Castropalaus disp. 1. punct. 8. §. 3. n. 5. dicit, primum votum non valere, si finis expectetur obtinendus mediis prefatis votis; contra valere, si bellum, & accessus ad concubinam spectentur eum conditiones. Deinde libidit, verius esse non valere prefata vota, quæ emittuntur ante susceptum filium ex adulterio, vel victoriam reportatam ex bello; valere autem, si fiant post susceptum filium, & victoriam, in gratiarum actionem. Caietanus 2. 2. quest. lxxxviii. art. 2. Tabiena verb. *Votum 2. in fin.* docent, vix contingere posse ut vota prefata non ordinentur ad malum; atque adeo nulla esse. Sanchez loc. cit. adfirmat, aliquando id posse evenire; & consequenter pluribus in casibus vota valere. Salmanticenses tractat. XVII. cap. 1. punct. 2. §. 3. n. 69. absolute pronuntiant, eiusmodi vota valida esse: atque pronuntiant, hæc sententia citant *Fagundes, Casaldano, Lessium, Rapbaelem de la Torre, Trullenchon, Bonachiam, Laymanum, Suarez, Pradum, Leandrum, Caietatum*. Sed de more non omnino sineare: nam plures ex citatis Auctoribus ambigue, & variis hypothesebus pollicentur.

XXV. Missis variis Theologorum placitis, dico: *Prefata vota imperatoria pro effectu futuro conditioni, turpi annexo invalida sunt.* Hæc assertio mihi videtur certa, si loquamur de his votis, prout communiter, & in praxi a Christianis eduntur. Nam cum Christiani votent Deo elemosynas, & Missarum celebrationes, si ex bello, ex duello iniusto evaserint victores, reipâ votum dirigunt ad consequendam victoriam iniustam, id est ad malum finem: quod secundum omnes votum nullum reddit. Quamvis ergo admittitur quod iuxta metaphysicas abstractions Theologorum quorundam, acumen subtilissimum cogitationum secundo indulgentiam, valida forent prefata vota; nulla tamen sunt, prout reipâ sunt. Porro in præsentia nullus est, nec esse debet fermo de votis; secundum arbitrarías hypothesebus sibi efformant Casuistæ non pauci: quia de rebus, non de contentis, est nobis agendum. Quod autem Christiani talium votorum auctores eadem revera ad finem malum dirigant, ex ipsis verbis quibus vota prefata concipiuntur, manifestum efficitur. Nam qui dicit: *Voveo elemosynam, si fratrem occiderò, ut illius hereditatem acquiram; si beneficium simoniae obtinuerò; si in homicidio, aut furto non fuero comprehensus;* (hæc sunt vota quæ proponunt Salmanticenses) qui, inquam, sic dicitur, & vovent, votum assument ut medium quod factum, homicidium, & fraticidium facilius felicitate exequantur. Hæc vota omnino similia sunt illis numeribus quæ homines cupidi alicuius privilegii a Principe, vel Magistrate obtinendi ministris offerunt hac conditione: *Si gratiam, gratum, & privilegium obtinuerimus; si e carceribus exierimus; si panam ob perpetratum homicidium nobis infirmandam evaserimus; si auri, quos ad vestram securitatem penes hominem fide dignum deponimus, vestri erunt.* Quæ negaverit eiusmodi munera eo pertinere ut illi homines id obtineant quod cupiunt? Et quævis phrasibus amonitibus, & expreßionibus ad iustitiam, & innocentiam magis accommodatis uterentur, quæ nihilominus infamias iret, tamen munus finem autem esse privilegiorum illorum consecutionem? Simile igitur procul dubio & de prefatis votis iudicium ferendum. Si voventes Dei cultum peccant, nullo modo vota sua conditionibus furti, homicidii, victoriæ iniuste illigant. Cur ergo eiusmodi conditionibus vota sua induunt? cur? Nisi quia hæc ipsa tamquam voti finem intendunt, seu tantam finem per vota assequendum? Non sic res habet, inquam; sed ut incolumes voventes evadant; quæ res bona est: seu vovendo Deo munera bona, illicite grata, quæ supponunt conditiones, & effectus malos: quia, inquam, iussu, iussu furti, homicidio, occisione fratris, beneficio simoniae obtento, elemosyna bona est: idcirco votum illius validum erit. Iterum dico, eiusmodi esse præcisiones, & abstractas hypothesebus Casuistarum, qui pro arbitrio illas efformant. Nemo negat elemosynam bonam esse; sed elemosynam alligatam recentibus conditionibus malam esse cordatus quique fateatur. Negant illi quod non sit ad eas obtinendas directæ. At ego melius assero, eo quod homines voventes non etiam illigant vota prefatis conditionibus; si enim elemosynam, Missamve abique ulla relatione ad eandem conditiones Deo offerunt, vota sua absolute Deo nuncupant, conditionibus recentibus neglectis, atque prolixo omittis. Restat ergo prefata vota huiusmodi pravis conditionibus alligata, quia mala certissime sunt, valorem nullam habere. Hanc nostram sententiam docet Sotus Lib. VII. q. 1. artic. 3. dub.

duo. 1. est. Sanchez verò Lib. IV. cap. vi. n. 17. hæc scribit: At iure optimo dicunt Caietanus, Tabiena, & Valentia, mortaliter loquendo vix esse possibile ut homo non dirigat votum ad tale malum. Eadem docet Ioannes Marin Tom. II. tractat. ix. sec. 3. num. 55. Nempe alicuius momenti est quod opponitur, neque stipulationes pactas cum hominibus pro assequenda re etiam iniusta iure nature valere. Quoniam potest homo, ut ait Sotus, ab homine turpe obsequium recipere, & pro eodem illi mercedem rependere. Quis vero dixerit a Deo quemquam turpe patrocini-um recipere posse, & pro eodem sibi collato vota pendere? Absurda hæc maxima sunt.

*XXVI. Dico 2. Votum pro actu turpi factum in gratiarum actione Deo nuncupatum invalidum est. & Deum dedecus. Conclatio hæc mihi certa videtur, & communis est, ut inquit Caltropalus tract. xv. disp. 1. puncti 8. §. 3. n. 4. ubi hæc habet: Communiter sententia defendit, hoc votum invalidum esse, & blasphemum. Referre namque grates Deo pro actu turpi, est representare Deum tanquam autorem, & approbatorem illius turpitudinis pro cuius afflictione illi vota penduntur: quod quam horrendum sit, patet. Quare mirari satis non lubit, Leandrum auctorem fuisse transcribere ex Filibicio tractat. xxvi. capit. 11. g. vi. n. 54. in suo tract. 11. de voto disp. iv. g. xxxi. hæc verba: Dico tertio, votum in gratiarum actionem pro actu turpi factum, validum est. Quandoquidem licet in sensu aliorum Auctorum suam, & Filibicij conclusionem explicet; nihilominus conclusio sic exposita blasphema semper est, & scandalum parit. Et quidem Theologorum nullus unquam asseruit, validum esse votum in gratiarum actionem pro facto turpi; sed disputant validum ne sit, an invalidum de effectu, seu termino actionis turpis. Sed satis festum est quod addit Filibicius ibidem, nempe suam sententiam Suarez docere Lib. II. de voto cap. v. n. 19. ex Caietano; cum Suarez doceat, Caietanum potius oppositum sentire. En verba Suarez: *Aliquis non placeat hæc assertio (nempe de valore voti) putant enim eandem esse rationem, sive victoria præcesserit, sive expectetur: qua videtur esse opinio Caietani. Nam eiusdem malitie existimat esse votum in gratiarum actionem, & ad imperandum. Quod & ipse Leander advertit. Ceterum id quod magis displicet, est, quod isti collectores calum ex Theologis clarissimis, qualis alios inter Suarez, est, transcribunt id omne quod laxitati favere potest,**

& deinde exceptiones quibus præfati Theologi suas conclusiones prudenter restringunt, limitantque, silentio non raro præterunt. P. Suarez, licet votum de effectu consecuto ad actionem turpem validum esse doceat, subdit tamen duas limitationes necessarias esse: alteram, quod effectus consequens actionem iniustam honestus sit, & licite retineri possit; alteram, quod actio gratiarum leparatur a valore. Lege ipsum num. 22. Oportet tamen huic assertioni duplicem limitationem adhibere. Porro, tamen satis obsecro loquatur, nihilominus confert non parum ad confirmandum id quod modo indicavi, viderelicet recentiores calum collectores non paucos Theologorum sententias truncatas referre, idque silentio obducere quod necessario foret reconferendum. Et tamen casuisticæ Theologie patroni haud erubescunt nobis toties truncationes ascribere, omni, & aperta summa veritate repugnante.

*XXVII. Dico 3. Votum factum in gratiarum actionem ob victoriam ex bello iniustum, & ob lucrum ex ludo pariter iniustum, invalidum esse. Ratio evidentiissima est. Lucrum ex victoria iniusti ludi percipitur, regnicque acquisitio per victoriam ex bello iniusto reportata iniuste retinetur, atque in eorum possessione iniusta, habentis malitia perseverat. Patet igitur conclusio, & veritas assertionis. P. Caltropalus tract. xv. puncti 8. §. 3. n. 4. contrariam defendit sententiam his verbis: *Verius videtur hoc votum per se validum esse: sic expresse Suarez Tom. II. Lib. II. de voto cap. v. n. 19. quia non est censendum agere gratias pro victoria iniusta ex parte qua iniusta fuit, & a se processit; sed pro illa victoria, quatenus a Deo processit. Secundum hanc rationem bonum quid est, & honestum. Ergo in eius laudem votum offerri potest.* Hanc rationem exscribit Leander disp. iv. g. xxxi. qui tamen addit, si victoria admittat materiam capaceam, idest effectum bonum.*

XXVIII. Si hæc doctrina Caltropali vera foret, nullum esset scelus, nullaque flagitium pro cuius executione non possemus Deo in gratiarum actionem vota nuncupare. Non solum actio iniuste victoria, sed omnes alie actiones flagitiosæ, & scelestæ ab homine procedunt secundum totam malitiam, & a Deo sub ratione entis. Si ergo licitum est gratias Deo rependere ob victoriam iniustam, non qua parte iniusta est, sed qua parte Deo procedit; eadem ratione licitum erit Deo vota nostra offerre pro adulterio, pro homicidio, pro furto, non ea parte qua mala sunt, & ab homine perpetrantur, sed ea parte qua entia phy-

physica sunt, & a Deo proficiunt: Sed, quod magis miror, est, quod adducat in patrociniū illius sententiæ auctoritatem Suarez, inquit enim: *Sicut expresse Suarez.*

*XXIX. Ut alterum habeas argumentum doctrina casuisticæ, verba Suarez isthuc transcribo. Suarez ergo num. 19. allegato a Caltropalao, statuit, votum in gratiarum actionem pro iniusta victoria validum esse, si effectus consequens victoriam iniustam boni sint, & honeste possint retineri. Ceterum, si victoriam iniustam consequatur iniquus effectus, ut iniusta civitatis acquisitio, tum votum iniquum erit. En illius verba ibidem num. 21. *Si autem Rex inferat iniustum bellum alteri, & comparata victoria regum insuper, quod iuste retinere non potest, tunc dico, votum in gratiarum actionem pro tali regno obvento iniquum esse, & invalidum. Quia, licet actio iniusta processit videatur tam spontanea, & præterea; moraliter tamen dicitur, ergo hæc gratiarum actio est impia: ergo & votum de illa prestandum invalidum est. Oportet ergo ut gratiarum actio sit pura, & bona, ut ita dicam, purum, idest non habens admixtam perseverantiam iniustam, vel aliam similem iniquitatem.**

XXX. Ut ergo potuisset Caltropalus sibi accipere patrociniū Suarez in confirmationem propriæ sententiæ, debuisset cum eodem distinguere duplicem effectum victoriam consequentem, alterum iulle retinendum, alterum iniuste possidendum. Debuisset uti principis Patris Suarez, qui docet, tunc gratiarum actionis votum esse validum, quando spectat bonum parum, non habens admixtam perseverantiam iniustam, vel aliam similem iniquitatem. E contrario Caltropalus contendit, gratiarum actionis votum esse validum pro ipsa victoria iniusta, non ex parte qua iniusta fuit, sed pro illa victoria quatenus a Deo processit. Quodcumque lenimentum huic adiciat principio, ut ego quidem arbitror, nullo modo satis mederi illi vales. Quoniam hinc consequitur, nullam esse actionem adeo turpem pro qua non possit, ut dictum est, gratiarum actionis votum Deo dici. Quia quævis actio, quantumlibet impia, accipi potest & ut est a Deo, & ut a peccatore procedens. Quare pro Auctoris huius excusatione dicendum, quod, licet illius locutio sit implexa, & minus cauta; nihilominus non aliud intelligere voluit, nisi quod tale votum Deo dicatur validum sit, non quatenus est de victoria iniusta, sed quatenus est de bono effectu consequente victoriam ini-

stam, pura votum pro incoluntate secuta ex bello iniusto. Quia de causa error potius in modo loquendi quam in re ipsa reputandum est.

XXXI. Dico 4. Votum factum pro filio qui susceptus est ex concubina, pro incoluntate ex duello reportata, validum est. Obiectum istius voti res bona est, & honesta; licet actionem turpem ac flagitiosam supponat. Filii enim, quocumque modo conceptus sit, & sanitas ius incoluntatis, quatenus tandem ratione habeatur, sunt res honestæ, & bonæ, pro quibus licitum est Deo gratias agere. Hæc sententia communis est. Eam defendunt Sotus Lib. VII. quest. 1. art. 3. dub. 1. Marin tract. 9. disp. 11. sec. 3. n. 58. Sanchez Lib. IV. cap. vi. num. 12. & omnes communitur, ne tempus teram linguolos reconferam.

XXXII. Validum quoque votum est puniendi proprium flagitium; ut ita dicas: si commissero tale crimen, tantum erogabo elemosynam, vale dicam sculo, ieiunabo &c. Si quidem eiusmodi vota sunt opera penitentiarum, quibus vindicta sumitur de parata iniquitate. Ita omnes.

XXXIII. Quest. VII. An votum rei bonæ ob finem indifferenter, & ob finem allegandis res temporales, validum sit? Resp. Absolute loquendo, communissima sententia docet, votum ob finem indifferenter irritum esse, & inane: quia finis indifferens vanus est. Porro finis ad quem ordinatur votum, eidem voto speciem tribuit. Igitur, si vanus est finis, vanum quoque consequitur esse votum in talent finem directum. Quare nullum est votum ieiunandi, ut sumptibus parat. Contra, si ob fines indifferentes obtentos votum in gratiarum actionem Deo dicatur, validum tunc votum foret: quia tunc finis voti non esset res indifferens, sed gratiarum actio, que non indifferens, sed optima est.

XXXIV. Similiter nullum est votum ob finem assequendi res temporales, si vivens in illis sitat, & ultra intentionem suam non erigat in aliquem finem bonum altiore. Quando ergo res voto promissa, seu materia euidem voto diriguntur ad consecutionem rerum temporalium tanquam ad finem, irritum est votum ob rationem assignatam: quia morales actus speciem capiunt a fine. Quare, si finis indifferens est, & vanus, vane quoque sunt actiones eundem finem spectantes. Ceterum, si fermo sit de votis que in praxi a Christianis communitur sunt ob res temporales obtinendas, ea valida sunt: quia hæc

in honorem Dei: quoniam pars Ecclesie sola ad nihil valet, nisi compleatur tota. Inchoare autem hanc partem ea sola spe quod alii, viso principio, sint opus consummaturi, nihil aliud esse videtur, nisi expensas fortunæ committere, quando alia non occurrant fundamenta. In mea itaque regula consulto inferiori illas particulas *secundum prudentiam exi- simationem*. Porro tum ego dicerem, secundum prudentium exiimationem partis Ecclesie constructionem in honorem Dei reducere, quando re ipsa alii parati essent, vel conjectura moraliter certa, aut valde probabile suppetent, alios fideles ad perficiendam fabricationem operum fore laturos. In tali positione concederem utique, voverent teneri ad partem, quamvis non ad totum: & hoc communi prudenti pietatis, & rationis sensui summoque consentaneum videtur. Pari- ter ad capellam, seu oratorium erigendum teneretur vovens, quando id posset, & iuxta prudentes christianæ pietatis estimatores adificium capellæ, seu oratorii in divinum cultum, & fideliâ utilitatem recideret. Qua ergo ratione adversarii concedunt, voverent centum in elemosynam teneri ad quinquaginta, quando non potest centum; eadem concedere debent, voverent adificare totam Ecclesiam teneri ad partem, aut ad capellam, seu oratorium, quando non potest totum; dummodo prudens pietas iudicet partem, vel capellam in Dei cultum, & Christianorum utilitatem cedere. Secus ducendum, quando executio partis superflua, & omnino inutilis foret. E. g. vovisti peregrinationem ad Domum Lateranensem, non potes totum iter conficere, non teneris ad partem: quia pars itineris ad finem voti inepta prolixi est, sicuti ineptam diximus constructionem partis Ecclesie, quando spes non addelet ut alii opus inceptum perficerent.

XLII. Rationes adversariorum seipis communt. Quod enim dicunt Salmanticenses, non esse actum estimandi rationis Ecclesiam, & capellam, perdidicimus est: quia hic sermo non est de rebus physicis, sed moralibus. Porro eadem virtus rationis impellit ad adificium capellæ, ac Ecclesie. Utique capella, & Ecclesia distinguuntur tanquam totum, & pars. In eadem tamen, ut ita dicam linea moris reperitur. Decem, & centum ad diversam numeri speciem pertinent. Ergo qui non potest centum, non debet decem? Eiusmodi speculationes in morum præceptis tradendis vane sunt, & inutiles. Fallum est quod tota Ecclesia sit corpus individuum. Quot Ecclesias in dies non videmus inceptas,

& non consummatas? Ego ipse non paucas vidi quarum sola maior capella adificata est: in qua tamen cultus Dei promovetur, & fidelium spiritualis profectus non parvus colligitur. Falla quoque est regula Sanchez, & Marin, nempe ex expressa intentione voverentis colligendum esse illius obligationem. Quippe, cum voverentis intentio expressa est, locus non relinquatur disputationi. Debitum ergo voverentis ex illius facultate, & ex rei voto promissæ conditione erudendum est. Quando igitur executio partis rei promissæ iuxta pios prudentelque estimatores promovet finem voverentis, nempe cultum Dei, aut pietatem fideliâ, in eodem genere in quo est totum quod promissit; tunc ad hanc partem exe- quendam vovens dubio procul obstringitur.

XLIII. Quæst. XIII. *Quando votum est de materia mixta, partim bona, & partim mala, ad quid vovens tenetur?* Resp. Materia voti pluribus modis mixta esse potest: vel quia pars una est possibilis, impossibilis altera; & de hoc satis dictum est: aut quia partim est bona, & partim mala; ut si quis voveat Religionem, quo res Cœnobii foretur; vel quia est partim indifferens, & partim bona; ut si promittas te profectum Romanam, & elemosynam erogaturum: vel ratio finis materia mixta esse potest, qui partim bonus, partim indifferens sit: ut si voveas elemosynam ad subveniendum pauperi, & acquirendas divitias quin illas in Deum dirigas. Plures alias positiones prætereo. Ex dictis autem patet responsio ad omnia. Nam, quando materia partim apta est, & partim inepta, & quando ex duobus finibus unus est bonus, alter indifferens, & ineptus; validum est votum, si iuxta prudentes estimatores separati fines impleri possint; dummodo non conflit de expressa contraria intentione voverentis, ut dictum est.

XLIV. Quæst. XIV. *An votum disjuncti- ve factum, cuius altera pars apta, altera inepta sit, puta cum voves aut Religionem, aut furtum validum sit?* Resp. Si votum revera sit disjunctivum, ita ut vovens ad neutram partem se voverit obligare determinate, led indifferenter aut ad unam, aut ad alteram eorum modo; absolute votum nul- lum & irritum est. Quoniam qui sic voverit, ut talis voti non magis ad partem aptam quam ineptam tenetur. Ergo votum, quod de meliori bono determinate esse debet, invalidum est. Idem dictio, quando disjunctio cadit supra duplicem finem; quorum unus ineptus, alter aptus est.

Immo

Immo qui sic voverit, peccat. Sed casus sub his terminis metaphysicus est. Quis enim, nisi stultus, auit sic vovere, ut neutram determinate partem velit? Aut quis adeo fit impius, ut partem criminis plenam voveat? Quare in praxi eiusmodi vota, que disjunctiva videntur, sunt tantum conditionata; seu potius sunt duo vota, unum irritum, quia de re vana, aut mala; alterum validum, quia de meliori bono: ut si quis ira percussus tale votum emitteret: Voveo me vindicaturum iniuriam mihi irrogatam; aut Religionem ingressurum: hoc votum non est disjunctivum: sed est votum conditionatum, quod nisi sumperit vindictam, velit ingredi Religionem: seu potius sunt duo vota, primum absolutum iurandi vindictam, quod est irritum; alterum conditionatum amplectendi religionem itatum, quod, impleta conditione, obligat, cum sit de meliori bono. Quando autem dabitur est, an similia vota sint disjunctiva, vel conditionata, & valida quantum ad partem aptam, conditione expleta; quidquid in oppositum sentiat P. Marin hoc. cit. n. 128. quia nemo præsumendus est malus, nisi probetur: malus autem foret, & peccans qui votum disjunctive eliceret de re bona, & mala æquo modo. In votorum re- ro materia, quando dubia occurrunt, tutior pars est eligenda; ut infra fufius advertus eundem Marin, alioque recentiores Caluistis demonstrabo.

XLV. Quæst. XV. *An votum quadi Romani- num valet?* Resp. D. Antonius II. Par. tit. xi. cap. 1. §. 3. dicit: *Votum autem de exendo nudum, non videtur multum commenda- bile, quia nec honestum, & periculosum tempore hiemali, & ideo potius est commutandum; id est, ut indutus honeste votum impleat.* Validum itaque votum est, eo quod pars principalis voti bona sit; & solumque modus accessorius malus est, & propterea ornittendus. Navarrus tenet oppositum c. xi. n. 39. Sed D. Antonini opinionem tuetur Sanchez Lib. VI. c. x. n. 13. & eidem accedit Marin hoc. cit. n. 119. & hæc sententia vera est.

XLVI. Quæst. XVI. *An votum non ludendi validum sit?* Resp. Sententia communis est validum esse: quia est de meliori bono. Nam ludus aut considerari potest ut est quid fortu- num in ordine ad lucrum, & iacturam; & ut est malorum origo, sicut reapse commu- niter est; & tunc dubio procul validum est votum non ludendi: aut consideratur ludus ut modus oblationis, & levandi animi causa

assumptus secundum eutrapielæ regulas, & tunc abstinentia a ludo ex amore penitentiæ, & mortificationis proficitur, & consequenter votum eius de meliori bono est: ergo validum. Quod si contingeret animi recreati- onem futuram esse in aliquo casu necessarium ad sanitate, tunc cessare pro tali eventu voti obligatio. Neque verum est quod inquit Tamburinus Lib. III. cap. xv. §. 4. n. 3. nempe quod si ludus, recreatio, cibis delicatis in speciali casu essent animæ utilitiosa, vota de abstinentia ab illis non valerent. Hæc, inquam, doctrina mihi vera non videtur. Nam plures vota eliciunt abstinentiæ a carnisibus, quarum usus quandoque in speciali casu est necessarius; nec propterea vota redduntur invalida. Dicendum ergo, quod vota similia in speciali casu non obligant, sicut de qualibet lege, & præcepto dicitur. Verum ex hoc quod in casu speciali non obligent, male inferitur vota huiusmodi invalida proferende. Quando ergo materia voti absolute considerata, & spectatis circumstantiis que commutenter occurrunt, est de meliori bono; vota semper valida sunt; quamvis casus speciales occurrant in quibus observantia voti non sit de meliori bono; & tunc votum non obligat. Sed validum semper manet: & casu speciali sublato, voti obligatio turis urgere prosequitur.

XLVII. Posito quod votum non ludendi validum sit, plures casus ludendi superiunt. Et primo quidem, ad quid teneatur qui vovit non ludere, puta chartis. P. Gobatus tract. xi. n. 52a. & P. La-Croix Lib. III. part. 1. n. 453. respondent, voverent huiusmodi non teneri abstinerere nisi a ludo immoderato, quando absolute vovit, nihil cogitando de immoderato, & periculo ludo; quia, inquit, votum in dubio explicari debet in favorem voverentis. Pro hac opinione P. Claudius La-Croix citat Bonaciam, Dianam, Tamburinum: & posset innumerum alios laudare pro opinione defendente, votum dubium expleandum esse in favorem voverentis. Verum hæc sententia P. Claudii La-Croix duplici ex capite non fallit est. Primo quia vota dubia non in favorem voverentis, sed in totam partem sunt interpretanda. Secundo quia qui vovit non ludere chartis; iuxta communem sensum ab omni chartarum ludo abstinentiam promittit; cum ludus iste iuxta naturam periculosus sit, & idcirco a canonibus sacris veritus compertitur. Distinctio autem ludi moderati, & immoderati caluistica est, seu a Caluistis inventa; que in mentem voverentium vix, ac

ne vix quidem venit. Qui enim vovent non ludere chartis, absolutam abinentiam ab omni chartarum ludo spondere intendunt. Quapropter præfata distinctio unice ad extenuandum voti obligationem videtur invecita. Concedit tamen La-Croix, te debere abstinere etiam a moderato ludo, si expresso in voto tuo illum comprehendisti: Papæ Egregia sane admonitio.

XLVIII. Citatus Auctor, ut votum non ludendi accommodet inclinationi voventis, contendit ex fine voti colligendum esse, non exclusivè etiam ludum moderatum, & an voveris etiam te non lusurum pro alio. Nam, inquit ille, si voto intendisti vitare iacturam pecunie tue, exclusisti solum ludum immoderatum. Quare infert, te ludere posse & pro alio, & pro te lusu moderato; immo & per alium, tradendo ei pecuniam, & aspiciendo; nisi aliter comiter de mente tua. Si christiani homines germana pietate ac virtute præstantes lætati sunt casuisticis distinctiunculis, vix profecto a ritu te continent. Repono itaque, nisi comiter expresse te distinguas, dum votum edidisti, ab omni ludo chartarum te debere vix voti absoluti abstinere: tum quia cum votum privata lex sit, de eo pariter recte habet celeberrimum dictum: *Ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus*: tum etiam quia materia voto promissa, nempe integra a ludo abinentia, confert plurimum ad innumera peccatorum pericula declinanda: tum denique quia votum in tutiore partem semper interpretandum est, Fallum est insuper quod inquit La-Croix, voventem non ludere, non peccare, dum per alium ludit. Quia qui per alium facit, per se ipsum facere videtur. Non minus fallum est quod loco citato pergit docere La-Croix cum Castropalao, & Tamburino, nempe, *dum vovisti non ludere, ne tempus teras, te posse per alium ludere, licet aspiciendo per alium tempus*. Audisti? Licet perdas tempus, ludendo aliena manu votum non fregisti; si autem propria manu ludis, votum fregisti. Peracta revera, & manifica Theologia! Manifestam laxitatem non vacat longius improbare.

XLIX. Si vovisti, inquit P. La-Croix loc. cit. n. 454. eo fine non ludere, ut vitares ritas, blasphemias, iraripentia... ludere licet per alium, licet hac incommoda timeatur, quia reipsa non ludis. Hæc opinio laxissima est: quia, præter rationes adductas, accedit periculum frequentissimum blasphemiarum, iuramentorum, & rixarum. Et tamen P. La-Croix eiusmodi mostra ut cer-

tas morum regulas obtrudit. Hæc quoque verba vellicarunt adversarii. Sed oro illos: An non licet aliquando pro domo Dei vocena extollere contra laxas opiniones, salvo erga Auctores obsequio?

L. Quæst. XVII. An validum sit votum nunquam peccandi? Resp. Ut responso clara sit, distinctione est opus. Si votum sit abstinentiæ ab omni peccato mortali, validissimum est: quia non solum est de meliori bono; sed est, divina opulante gratia, de re moraliter vitata. Nam præcepta divina omnibus possibilia sunt. Ita communiter omnes. Si autem votum sit absolutum, excludens quæcumque peccata, tum mortalia, tum venialia collective accepta; & consistit de hac expressa voventis intentione: tunc votum nullum est: quia materia voti, sic collective accepta, est moraliter impossibilis humane imbecillitati. Quoties ergo vovens spectat abinentiam omnium peccatorum tum venialium, tum mortalium per modum unius obiecti, tunc votum nullum est ob rationem datam. Quandoquidem in hac positione non valet regula: *Qui non potest totum, debet partem implere*: quia vovens expresse excludit hanc divisionem, quando expresse excludit votum totam materiam indivisibilem. Vovens enim legislator est, qui pro arbitrio sui eiuusmodi obligationes valet imponere. Et hæc communis opinio, quod docet Sanchez Lib. IV. cap. v. n. 10. Sotus Lib. VII. q. 1. art. 3. Ioannes a S. Th. 2. 2. q. lxxxviii. disp. xxxix. art. 5. Sayrus Lib. VI. cap. 11. n. 10. Valentia 2. 2. disp. vi. q. vi. punct. 2. Aragonia 2. 2. q. lxxxviii. art. 2. dub. 2. concl. 4. Salm. tract. xvii. punct. 2. §. 5. n. 82. Ledelina tract. x. cap. 11. concl. 2. Navarra cap. xii. n. 67. Toletus Lib. IV. cap. xvii. n. 10. & alii.

LI. Præfata autem sententia vix in praxi locum habet: quia fere nempe vovens expressa intentione comprehendit utramque materiam per modum unius æquo modo, nempe tam mortalia, quam omnia venialia peccata. Communiter namque voventes intendunt vitare omnia mortalia, & venialia, dum vitare omnia mortalia. Propterea quoad permixta humana fragilitas, voventium omnia venialia vota valida sunt: quia ut plurimum similia vota valida sunt: quia vitare omnia mortalia tuncque possibile est: & quantum ad hanc partem votum servandum est, iuxta illam regulam regulam 37. in VI. *Utile per inutile vitari non debet*. Quapropter huiusmodi vota, quando non consistit eviderent de contraria intentione voventis, ut valida sunt censenda: quia, quando quis

vo-

vovet duas res separabiles iuxta communem prudentum existimationem, quarum una possibilis sit, impossibilis moraliter altera, valet votum respectu partis possibilis. Hanc intentionem defendit P. Marin tract. ix. disp. 11. sec. 3. n. 10. quod laudat Suarez Lib. II. cap. 11. mon. 1. & 12. Lessius Lib. II. cap. xl. dub. 7. n. 31. Castrop. punct. 8. n. 9. Gobat tract. xi. n. 76. Et hæc opinio tenenda est etiam in dubio: quoniam actus in dubio presumitur factus secundum eius naturam, ut commune habet axioma.

LII. Si votum sit de vitandis omnibus peccatis diversive, aut mortalius, aut venialibus, ita ut vovens ad neutram partem determinate te se obliget, nullum est: quia vix talis voti vovens non magis valet partem aptam quam ineptam: quia de causa dictum est supra, nullum esse hoc votum: Voveo me celebraturum Missam, aut salturatum.

LIII. Quæst. XVIII. An validum sit votum vitandi omnia peccata venialia? Resp. Ut hinc quaestiuicula clare respondeamus, quæ communia sunt, præmittamus oportet. Validum itaque votum est vitandi aliquod genus peccandi venialiter, puta vitandi quædam hoc moraliter possibile est. Sic docet Azorius Lib. XI. cap. xiii. q. iv. Lessius Lib. II. cap. xl. dub. 7. n. 31. Suarez Lib. II. cap. 11. n. 4. Sanchez Lib. IV. cap. v. n. 18. Castrop. punct. 8. n. 11. Marin tract. ix. disp. 11. sec. 2. n. 11. Sanchez tamen sustinet votum vitandi omnia venialia in cogitationibus luxurie, vel iudicii temerariis, vel in cibo, & potu, vel in verbo otioso esse invalidum: quia; inquit, est de re moraliter impossibili. Oportum docet communiter alii. Diffidium tanti non est, ut prolixior de eo fieri debeat disputatio. Pro praxi similia vota non sunt censenda. Si vero facta scrupulis voventem torqueant, dispensatio, aut commutatio impetranda est, ut periculum peccandi vitetur.

LIV. Communissima autem sententia est, votum vitandi omnia peccata, non solum collective (quod verum est apud omnes), sed etiam diversive, nullum esse. Quoniam voventis de re moraliter impossibili nullum est. Huiusmodi autem est votum vitandi omnia peccata venialia. Siquidem non posse hominem omnia venialia peccata cavere, auctoritate patet Tridentini Concilii, dicentis Iess. vi. canon. xxiii. *Si quis dixerit hominem iustificatum posse in tota vita peccata omnia, etiam venialia, vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quænamodum de B. Virgine tenet Ecclesia, anathema sit.*

LV. Non desunt qui oppositum sustineant; quorum etiam argumenta satis valida sunt. Inquit namque, votum istud non obligat ad aliud quam ad id cui iam obstricti sumus: siquidem omnes tenemur vitare omnia peccata venialia. Ergo votum de his vitandis validum erit. Confirmatur. Votum istud non obligat in actu secundo ad aliquid moraliter impossibile: quia solum obligat in actu secundo pro hoc instanti, tum pro alio, & sic deinceps. Non est autem quid moraliter impossibile vitare omnia peccata venialia in instanti determinato. Votum ergo istud obligat ad rem promissam implendam eo modo quo impleri potest. Sic vovens construere templum, non tenetur edificare hodie totum templum; sed hodie unam, cras alteram partem. Eodem modo vovens vitare omnia peccata venialia, hodie tenetur vitare hodie, cras crastina. Præterea eodem modo obligat hoc votum quo obligat lex; sed lex obligat ad aliquid possibile in actu secundo: ergo & votum. Votum enim lex est privata. Porro quam legem meliorem, prudentiorem sibi imponere valet homo præ illa quæ similis est divine legi? Amor enim istius divine legis in nobis prudens est. Ergo & votum illam adammissim exequendi prudens dicendum erit. Accedit quod tam difficile est invinere in freno commodum, & undique illecebris multis collectum non peccare taliter, quam difficile est Religiosum non peccare venialiter. Si valet primum votum, quidni & secundum? Nonne iuxta Sotum in IV. dist. xvii. q. 111. Azorium, Sanchez, Castrop., La-Croix n. 404. validum votum est consistendi omnia venialia: quia intelligitur de illorum confessione quæ mediocri diligentia adhibita memoria occurrit? Idem ergo dicendum & de voto illa vitandi. Tandem, iuxta superius dicta, validum est votum celibatus emulsum ab homine fragili, licet suorum relapsuum experientiam habeat: eo quod absolute continere te potest, & ex sua malitia labitur. Neque enim voti materia metienda est ex fragilitate, & malitia voventis; sed bonitate generica, & comparate ad hominem divine gratia auxiliis instructum. Quapropter dictum etiam est, matrimonium votum in tali homine invalidum esse, eo quod impediatur manus bonum calidum. Momenta igitur hæc, si recte probant celibatus votum, proval dubio tribent voti alterius nullam peccandi venialiter valorem evincunt.

LVI. Argumenta hæc specialia sunt, & si vis metaphysici ratiocinii spectetur, satis

G 4 vali-

valida. Ceterum, si ad Conciliorum, & Scripturarum canones revocentur, languida sunt, & infirma. Anathema Tridentinum in eos contraque qui asserunt, sine speciali auxilio posse quempiam in tota vita tua omnia venialia vitare. Scriptura testatur, Deum in Angelis suis pravitatem reperire; neminemque esse mundum a forde. Legem divinam, que omnia venialia prohibet, venerari, & pro viribus exequi debemus; sed minime tam libelli legi aliam debemus addere, que pondus aggravet, augeatque. Quid humane nature humeri ferre valeant, solus supremus ejusdem effector novit: idcirco solus ille legem rogare potuit de singulis venialibus declinandis. Nec valet paritas de voto mortalium criminum: quia re ipsa homines bene morati communibaque divine gratie subsidiis aduti, mortalia vitare: nullumque canon reperiunt qui doceat, aliquem hominem toto tempore mortalia omnia vitare non posse; quemadmodum de venialibus docet Tridentinum. Non valet igitur paritas a mortalibus ad venialia. Demum cuilibet homini, quantumvis fragili, moraliter possibilis est calibatus; dummodo remedia que Scripturæ, & Patres prescribunt, velit executioni mandare. Sunt autem fuga mulierum, illeceberrum, & spectaculorum, abstinere a pravis libris, colloquiis scurrilibus, & omnibus denique occasionebus, quas christiana prudentia vitare suadet. Nec latet illi declinare scopolos: adhibenda quoque adminicula sunt, ut crebre preces, meditatio æternitatis, gehennæ; paradisi, passionis Christi Domini, jejunia, afflictiones, abstinentiæ, vigiliæ. Hæc validiora sunt remedia ad continentiam servandam, quam matrimonium ad naturæ propagationem à Deo institutum. Ad servare votum nunquam peccandi venialiter non est in hominibus potestatis; quantumvis conatus omnes suos adhiberet: vitare siquidem omnia venialia peccata, quod nullus hominum prudenter sibi valet polliceri. Ne multa: vota omnia prudentiæ, non possibiliteris legebis dirigenda sunt. Et quamvis in metaphysica disputatione propugnari posset valor voti de vitandis venialibus, in praxi tamen non consulenda, nec permittenda essent eiusmodi vota, peculiari afflatu divini Numinis sublato.

LVII. Vota que referuntur a quibusdam insignibus pietatis personis emissa, ex peculiari divino instinctu fuisse contendimus. Votum sanctæ Theresiæ efficiendi semper quidquid perfectius intelligeret, aliquid est maius

multo quam votum non peccandi venialiter. Votum etiam quod edidit piissimus P. de la Colombier, quod eius sermonibus typis editis præmissum legitur, sublimius est votum vitandis culpas veniales; adeo namque excellens est, ut, quoties illud legi, toties incredibili quodam impore correptum me senserim, & peculiari venerationis affectu erga piarum virum me pertractum expertus sim. Refert quoque Gobat votum F. Ludovici de la Puente, viginti annis ante mortem editum, nunquam peccandi venialiter deliberate: aliaque familia vota monastica historia suppeditat. Que vota omnia ex speciali Spiritus sancti ductu fuisse fatentur omnes. Et de sancta Theresia asserit Gregorius decimus quintus, Deo consilante illam votum suum edidisse.

LVIII. Quæst. XIX. Quid dicendum de his duobus votis? Mater innuptam filiam gravidam agnoscit. Familiam ex illius parturitione passuram previdens, votum emittit donandi Beatæ Virgini mille nummos aureos, si filia ante partum moriatur. E contrario filia vovet, nisi illi nubat a quo compressa fuit, cuiusque alterius viri nuptias se repudiaturam: quoniam matrimonii pactio cum amatore suo ante corporum commixtionem intercesserat. Resp. Hunc casum proponit P. Comitulus; doctæque matris votum impium esse; quod per se notum est. Quippe votum illud mortem filię, & partus qui ex illa egredi deberet, pro fine immediato habet. Fusa infamia per se bona est; at mala evadit, si medio vitioso intendatur: quia malitia mediis inficit finem, ut ex dictis constat. Quamvis ergo infamie periculum declinare res bona & optima sit; iniqua tamen redditur in casu posito ex pravitate mediis; desiderio scilicet mortis filię. Votum filię honestum, & ratum est. Quia, si finis nubendi illi cui se se impoponderat, inficiatur, bonus est. Si calibatus quoque, quem promittit, amatore suo in matrimonio non docto, consideretur, bonus titidem non amittitur.

C A P U T V I I.

De votorum distinctione, & multitudine.

I. **P**URA dicitur sumus de votorum distinctione, dum argumentum status religionis in manus occurrat. In presentia pauca libabimus. Primo tribui votum solet in absolutum, conditionatum, & penale. Deinde in solenne, & simplex. Tertio in necessarium, & li-

& liberum, seu in commune, & singulare. Quarto in reale, personale, & mixtum. Tandem in adfirmans, & negans; in perpetuum, & temporale: in reservatum, & non reservatum; in publicum, & occultum; in expressum, & tacitum, seu in mentale, & vocale. Hæc sunt distinctioes quas passim offentes penes omnes Auctores.

II. Votum absolutum est, dum quidquam vovet ab omni conditione actum independentem expeditum: ut si dicas, Voveo castitatem. Conditionatum appellatur cui conditio aliqua affigitur, quo interveniente, obligatio conlurgit voti implendi: ut si infirmus dicat: Voveo duo jejunia in pane & aqua, si convalesco, si ex hoc periculo liber evalesco. Penale est, quando, ut rem promissam observes, adicias poenam subendam; ut si dicas: Voveo disciplinam usque ad sanguinis effusionem, si visero, si illam domum laqueorum plenam ingressus fuero. Quod votum nuncupatur conditionatum penale. Dissert autem a puro conditionali: quia in illo non apponitur conditio ut pœna, sed ut conditio; in illo per modum pœnæ conditio adicitur.

III. Antequam ultra progredior, pauca dicenda sunt de variis conditionibus que votis affigi possunt. Nam alie sunt conditiones generales, & necessarie; alie peculiaris, & libere. Conditiones generales, & necessarie, que suprà natura præsupponuntur, votum conditionatum haudquam conluntur: eiusmodi sunt, Si vixero, si Deo placuerit, si Superior non irritaverit, si eras cretus, &c. ut habetur in cap. Beata Maria xxvii. c. 11. Similiter conditio que est de præterito, aut presenti, non reddit votum conditionatum, sed absolutum relinquit, perinde ac si non esset apposta. Ratio est, quia conditio proprie dicta suspendit contractum ex futuro eventu; conditio autem de præterito, aut presenti nihil suspendit; ut si dicas: Voveo jejunium, si pater meus mortuus est, si nunc cretus; quia, veritate conditionis posita, obligatio voti non suspenditur, sed viget, & votum est adimplendum. Sic communiter docent Auctores. Posset tamen aliquando votum appellari conditionatum respectu voventis, si cogitatio eventus conditionis futura esset; atque adeo votum morti, vel vitæ parvis illigatum fuisset. Sed hæc vocem diffidat sunt. Absolutum quoque votum appellatur quod fit cum animo suspendendi executionem ad futurum tempus, ut si dicas: Voveo ingressum in Religionem, si pater obierit, si vigintiannam ætatem attigerit, si curriculum studiorum absol-

vero. Illa siquidem particula fit eundem prodidit sensum ac quando. Absolute enim vovet Religiosem amplectendam determinato tempore. Absolutum quoque esse defendunt etiam modi votum, Promitto ingredi Religionem, si frater major natu habuerit filios, Salmant. loc. cit. præf. 3, n. 88. quia, aiunt, absolute intendis Religionem: nec præfers successiosem fratris Religionis obligationi; sed illius duntaxat executioni. Verum hæc opinio multo falsa videtur, si spectemus ad ipsam conditionis notionem, quam promittit non modo Auctores communiter, sed ipsimet Salm. Illa enim conditio appellatur que adum suspendit, donec ipsa ponatur. Atqui ille qui illigat ingressum in Religionem futura fratris sui successione, vere futuræ, & incertæ, seu fortuitæ conditioni votum suum afficit. Cur ergo conditionatum non erit? Quare conditionatum revera esse defendunt Suarez scilicet. VI. cap. xxii. jum. 6. Sanchez Lib. II. cap. xl. n. 8. Pontius Lib. VIII. c. 130. n. 18.

IV. Obicitur Salmant. qui promittit se Religionem ingressurum, si frater major natu filios habuerit, ex affectu ad Religionem votum emittit; nec præfert successiosem fratris obligationi Religionis, sed illius executioni: ergo votum est absolutum. Subdunt deinde, quod, si vovens dicat: Promitto ingredi, si ex infirmitate convalesco, si ex periculo evalesco, si in tale peccatum lapsus fuero: votum illud foret conditionatum. Resp. Non videtur cui conditionatum sit hoc posterius, absolutum vero primum: quin oppositum sentiendum existimo. Ratio namque que promittit, falsa apparet. Non præfert Religiosem successiosem fratris, si fratris successiosem ingressum in Religionem illigat? Quæro: si frater natu major filius caretet, teneretur ne vovens Religionem ingredi? Minime gentium profecto; quemadmodum non teneretur qui tecundo modo voveret, si apposte conditiones desereret. Vere igitur præfert successiosem fratris Religionis; si, desiciente successiose, non intendit Religionis ingressum.

V. Celebris divisio est voti in solenne, & simplex. Solenne nuncupatur quod in conspectu Ecclesiæ fit, & ab eadem acceptatur; simplex vero quod a privata persona quasi in occulto emittitur. An eiusmodi vota specie differant, an iure divino, vel ecclesiastico, pro rei dignitate de statu religiois omnia difficulta reperies.

VI. Votum necessarium est illud quod omnes in baptismate emittunt, diabolo, mundique pompis renuntiantes: quod ideo necel-

farium dicitur, quia est de observantia evangelicæ legis ad salutem necessaria. Non est tamen votum proprie dictum, ut supra indicavimus. Votum *liberum* illud est quod sponte edit de re non necessaria ad salutem, ut servare castitatem; aut, si necessaria res est, & ex precepto præscripta, libere votens ad illam se obstringit novo vinculo voto, quod potest esse omittit.

VII. Rursum votum aliud est *commune*, aliud *particulare*. Aliqui, ut Bonacina, commune votum appellat quod a communitate, vel ab omnibus editur; particulare autem quod quisque pro arbitrio emittit. At communiter Auctores votum commune idem ac necessarium, & particulare idem ac liberum esse docent: & est vera opinio.

VIII. Votum *reale* est illud quo externa res aliqua Deo offertur; *personale* quo actio, vel commissio ad personam attingens obligatur; *mixtum*, quo utrumque promittitur, nempe & res externa, puta elemosyna, & actio votentem afficiens, ut peregrinatio, ieiunium simul cum elemosyna. Ita omnes. Similiter omnes asserunt; votum *adfirmativum* esse illud quo spondetur quidquam positivum faciendum, v. g. elemosynam; *negativum*, quo aliquid negativum, ut abstinentia a carnibus, a ludo, a peccato promittitur.

IX. Votum *perpetuum* illud est quod durat usque ad mortem votentis; ut est votum erogandi elemosynam singulis mensibus per totam vitam; & illud dicitur *perpetuum* respectu vinculi obligationis afficientis votentem. Potest autem alio modo esse perpe-

tuum, scilicet ex parte materiae post mortem votentis duraturum; ut est votum edificandi cenobium, aut nosocomium, in quopetuo alantur Religiosi, vel pauperes agrotantes. Dicit etiam solet votum *perpetuum per se*, quando nimirum fuerit absolute prolatum; & perpetuas ex natura rei intelligatur; ut dum quis vover castitatem, Religionem &c. quia est nihil perpetuitatis habetur præsum; tamen iuxta communem sensum *per se* intelligitur perpetuas. Vocatur vero perpetuum *per accidens*, quando suapte natura hanc perpetuitatem non præfert; sed ex intentione, aut verbis votentis colligenda est; ut votum ieiunandi, elemosynam erogandi &c. *Temporaneum* dicitur quod ad certum definitum tempus durat; puta votum ieiunandi semel in hebdomada per annum unum. Omnia communissima sunt.

X. Vota *reservata* ea dicuntur in quibus Prælati immediati & inferiores facultate dispensandi carent; sed talis potestas Prælati superiori dumtaxat reservatur: non *reservata* dicuntur illa quorum relaxatio Prælati immediatis etiam, ac inferioribus competit. Votum *expressum*, & *formale* est quod conceptis verborum formulis editur: *tacitum*, vel *virtuale*, seu *implicitum* illud est quod non verbis expressis emittitur, sed ex aliis arguitur, quando nempe peragitur aliquid cui votum afficitum est; ut est castitas votum, quod Subdiaconi Ecclesiæ catholice emittunt sacros ordines suscipientes. *Publicum* vocatur quod fit palam; *occultum* quod fit secreto. Hæc omnia facilia, & communia sunt penes omnes.

DISSERTATIO II.

QUANTA SIT VOTI OBLIGATIO. DE VOTO DUBIO, INDETERMINATO, METU, VEL ERRORE EXTORTO, CONDITIONALI, ET PÆNALI.

GRAVES occurrunt in hac dissertatione quam aggredior, difficultates excutienda: & quod non leve facessit negotium, in aliquibus maioris momenti adversus plurimos novos Casuistas pugnandum erit. Stabant tamen a nobis antiquitas, & ratio, ut confidimus: quamquam plurimæ tractanda quæstiones non antiquæ, sed novæ sint, Patribus incognita; & utilior esset earamdem ignoratio quam notitia. Ceterum, ut lector nosset in promptu habeat quæstiones quæ tractari ab aliis solent, idcirco operæ pretium indicavi easdem discutere.

CAPUT I.

Obligatio voti exponitur, cuiusnam vietivis sit, religionis, an alterius. Datur ne materia parvitas; & an hæc obligatio ad alios transire valeat.

I. Veritas fidei est, votum obligationem inducere, ut votens, id quod promissit, exequatur. Id perspicue præferitur Deus xxxiii. *Quoniam votum voveris Domine Deus tuo, non tardabis reddere: quia requirit illud Dominus Deus tuus: & si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum.* Quod confirmat D. Th. 2. 2. q. lxxxviii. art. 3. in IV. dist. xxxviii. q. 1. art. 3. q. 1. & quodlib. lxx. art. 12. *Maxime obligatur homo ad hoc quod implet vota Deo facta: hoc enim pertinet ad fidelitatem quam homo debet Deo. Fraus autem voti est quædam infidelitatis species. Unde Salomon rationem assignat, quare sint vota reddenda: quia displicet Deo infidelis promissio.* Hæc obligatio suapte natura gravis est, eisdemque transgressio ex genere suo peccatum mortale est: etenim inquit D. Th. in IV. loc. cit. *Qui votum vite factum præmittit, mortaliter peccat: quia fidem quam fiduciam res clarior habet.*

II. Quæritur I. An voti obligatio pertineat ad virtutem fidelitatis, & religionis; an etiam ad illam virtutem ad quam attingit materia promissa? Resp. Primo certum est obligationem voti pertinere ad virtutem religionis, seu fidelitatis: quia votum est actus religionis, quo Deo cultus latriæ exhibetur.

III. Obiicit. Fidelitas erga homines non obligat sub mortali. Ergo, si votum ad virtutem fidelitatis pertinet, non sub mortali, sub lub veniali obligabit. Respondetur, utique fidelitatem in promissionibus factis, & ab alio non acceptis, non obligare sub mortali, quia hæc fidelitas sistit intra suos limites veracitatis. At fidelitas quæ in obligatione votorum elucet, est Deo per virtutem religionis consecrata; religio autem sub mortali obligat: ideo dispar est ratio.

IV. Distandum penes Auctores est, utrum hæc voti obligatio non modo ad religionem pertineat, verum etiam ad illam ipsam virtutem ad quam spectat res voto promissa. E. g. voti ieiunare, & ieiunium frangis: peccas neadversus religionem, voti obligationem frangendo, & simul adversus virtutem temperantiae? Prima, & vera sententia negat, obligationem voti ad utramque virtutem pertinere: quoniam qui opus consilii, seu super-

erogationis vover, non aliam sibi imponit obligationem quam illam quæ ex promissione Deo facta oritur. Hæc autem obligatio, tota quanta est, a virtute oritur religionis, & fidelitatis. Nec enim vovens novam sibi addicere temperantiae legem præter illam quæ limites præscribit cibi, & potus, intendit; quamquam ex affectu ad temperantiam, quam sibi proficuum, & Deo gratam reputat, voveat tale ieiunium. Id evidens satis ex communi votentium sensu. Nulla igitur obligatio est in voto spectans ad aliam virtutem præter religionis, & fidelitatis obligationem.

V. Contraria sententia defendit, præfatam obligationem voti pertinere cum ad religionem, tum ad virtutem illam ad quam reducitur res promissa; ita ut frangens votum ieiunii duo peccata committat, alterum contra religionem, alterum contra virtutem temperantiae. Salmant. *ibid.* xvii. cap. 1. *prop.* 4. §. 1. n. 102. pro hæc opinione citant Valentianum 2. 2. *disp.* vi. q. vi. *punct.* 3. q. 1. *concl.* 3. Sayrum *Lib. VI. c. vi. n. 8.* Salmant. *Lib. IV. cap. xi. n. 6.* Bonaciam *disp.* iv. *punct.* 5. §. 4. n. xi. At revera Sanchez, & Bonacina absolute hæc opinionem non docent; sed solum contendunt quod, quando votens intendere se obligare ex peculiari retinenda illius virtutis ad quam voti materia spectat, in hæc hypothell vovens duo peccata admittet: scilicet, quando absolute voveret sine hæc expressa intentione, & sine peculiari affectu ad præfatam materiam. Et certe, si vovens expresse intendere hæc duplicem obligationem sibi imponere, duo peccata committeret votum frangendo, unum contra votum, alterum contra virtutem, cuius obligationem sibi servandam assumpsit ex debito. Nec video cur Salmanticensis negent, posse votentem sibi actum temperantiae sub gravi culpa contra talem virtutem servandam imponere; ita ut actum illam omittens & contra votum, & contra eandem virtutem peccet. Sicut enim ad aliquod opus supererogationis exequendum potest homo per votum sibi gravi culpa se obligare; ita potest sub gravi culpa se obligare ad excurrendum ad eundem aliquem temperantiae. Neque hoc est pervertere rerum naturas. Rerum nature subsistentium in genere moris humane deliberationi in his in quibus non apparet aliqua repugnancia; quemadmodum hæc nulla prorsus apparet. Nonne siquidem datur præceptum ieiunii obligans sub mortali? Cur nequit Christianus tale ieiunium præceptum sibi ipsi imponere sponte sua, & libera voluntate? Atque